




JONAS ELVERVELDIUS


*R*ECLOGA SLEIAS QUÆ,  
SUB PERSONA ALEXIDIS, IN-  
CLYTI FRIDERICI, CLARISSIMI PRIN-  
CIPIS JOHANNIS ADOLPHI... EX  
DIVA AUGUSTA FRIDERICI II DA-  
NORUM REGIS FILIA, SUSCEPTI FI-  
LII NATALEM CONTINENT

SLESVIGÆ 1598




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
LN 568 4°






Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
LN 568 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
LN 568 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
LN 568 4°

40<sup>ii</sup> - 408

4°

LN 568

M







©ARL LUND

402-408 476

ECLOGA  
SLEIAS

QVAE, SVB PERSONA

ALEXIDIS, INCLYTI FRIDERICI,  
clarissimi generosissimiq; Principis IOHANNIS  
ADOLPHI, haredis Norvegiae Holsatiaq; Du-  
cis etc. ex diva & serenissima AVGVSTA  
FRIDERICI II. Danorum Regis Filia,  
suscepti filioli natalem continet:

Auctore

IONA ELVERVELDIO  
CIMBRO.

SLESVIGÆ

EXCVDEBAT NICOLAVS  
VVEGENER.

ANNO M. D. XCVIII.

**D**iva soporiferæ moderatrix Cynthia noctis  
Latmia conscendit redeunte cubilia luce,  
Memnonis arguta sobolem cum solis in ortu  
Voce salutat avis, dilectaq; ruris alumni  
Ad fluvios sacri contendimus Aone Vates:  
Grataq; vicinæ collustrans pascua ripæ  
Talibus in vacuas erumpit Sleias auras,  
Slejas Aonijs illic quæ præsidet undis:

Dicite crudeles, immitia numina, Parcæ  
Quas necis ante fores ( ut fama est ) edidit uno  
Persephone tenebris Acherontis filia partu,  
Dicite fatalis quæ tanta licentia lethi.  
Æquè quod tumidas viduatis regibus arces,  
Filaq; plebeæ, nullo discrimine, genti  
Rumpitis, æquali pensatis & omnia lance:  
Sic, mundi fidus, nostris Adolphus in oris  
Occidit, Europæ desideriumq; reliquit.  
Cumq; suo Princeps Fridericus fratre Philippus:  
Nunc cinis, at quondam patriæ duo lumina terræ.  
Qualis & æstivis Hiacynthi prodigus auris  
Syrius exurit florem, miser ille novellis  
Spem generi servat: talis post fata suorum  
Cimbriadæ genti tener est servatus Iolas.  
Pimpleades luctu citharas mutate Camæna.

Has pater in populis posset sarcire ruinas  
Omnipotens, borum miseratus, ab aethere votis  
Annuit, & diva Bremæ qui Præsul in aula  
Clara tulit sacræ quondam diademata mitræ,  
Post patris, imperio, cineres, præfecit Iolam.  
Axe sub biberno gelidissq; Lycaonis astris

Nuper



Nuper qui niveam puer usit amore Philetam,  
 Usit & aeterno nuptam sibi fœdere junxit:  
 Hanc Sophia Arctoo conceptum Atlante sub auras  
 Enixa est genitrix Danis, ad flumina Baltbes.  
 Quâ fausto primos ubi junxit sidere somnos,  
 Vdaq; promeruit dilecta basia nymphae.  
 Integra post decimi, tenerum, fastidia mensis,  
 Matris in amplexu, jam ludere vidit Alexin.  
 Pimpleades luctum Citharis mutata Camœna.  
 Triste sub auroram privari luminis usu,  
 Dum roseos, pulsus iam noctibus, exerit ortus  
 Sol oculus mundi, lucemq; diemq; reportat:  
 Tristius augustos sine prole videre penates!  
 Dulce Machaonici misero sine graminis usu  
 Eximias jactare domos, artusq; salubres:  
 Dulcius in socio consortis fœdere lecti  
 Prole coronatas cum coniuge cingere mensas  
 Inq; suos longum transmittere proles nepotes! <sup>Stemma</sup>  
 Felices ambo, qui fecit talia vobis  
 Gaudia, jam stabili firmet, Deus, omnia cursu.  
 Musæ, grande Iovis soboles, quibus altus Iolas  
 Hospitium in nostris placidum dat, & otia, ripis.  
 Fausta recens nati dulces in Alexidis ortus  
 Dicite, sublatum studijs renovate decorem.  
 Alma sub hoc homines cælo delapsa reviset  
 Et pietas, & cana fides, doctrinaq; recti,  
 Pimpleades luctum Citharis mutata Camœna.  
 Huc ades ò nostris decor, & spes altera, terris,  
 Huc ades ò animæ pars altera patris Iola,  
 Matris & in niveis genitori allude lacertis.

A 2

( Sleias

(Sleias hic ego sum lacrumis qua triste subortis  
Funus avi quondam, dolor heu! meditabar Adolphi)  
Tempora post aliquot juvenilia grandius aude:  
Primaq; virtutem colere, & non temnere divos,  
Cura sit, ingenuas defendere proxima leges:  
Cætera quæ præter, quamuis pulcerrima, sordent.  
Majores bis iunge atavos, & clara parentum  
Exemplo sint facta domi, quos ardua latum  
Laudibus immensis extollit fama per orbem.  
Sic tua florebit virtus, sic ferrea sub te  
Aetas labetur, sic aurea molliter ibit.  
Pimpleades luctum Citharis mutata Camæna.

Salve dive puer: tibi nunc felicibus astris  
Lati primitias natalis Cimbricus edit  
Orbis, aviq; suis in te vestigia servat  
Eximiasq; patris dotes, maternaq; plausus  
Mænalis Arctoo sub sidere Dania mittit.  
Dij, placidis careant non hæc successibus, oro.

Sleias hæc: illam procul audire canentem  
Illic qui saturas vicina in margine ripæ  
Compulerant pecudes, Lycidas & Thyrsis, in unum.  
Thyrsis oves, mixtis Lycidas armenta capellis,  
Alternisq; novi primos in Alexidis ortus  
Certarunt: dociles iterabant gaudia sylvæ.

Lycid. Principium docti sit Iolas carminis, ille  
Vndiq; quod cernis, patrios armenta per agros  
Ire sinit, nostris & amata dat ocia Musis.

Thyrs. Grataq; vicinis tondere novalia campis  
Ille bonas permittit oves, oviumq; magistros:  
Ergo principium nobis sit, & auctor, Iolas.

Gnosta

Lycid. Gnoſta ſi magni Iovis incunabula tellus,  
Si memor Iliada natalem Roma Quirini  
Extulit, & toto latam celebravit in orbe:  
Nos decet hanc merito Paſtores tollere lucem,  
Eſt puer illuſtri qua natus Alexis Iola,  
Iolæ cui celsa favet Cynofura ſub Arcto,  
Paret & Hoſſata conceſſa potentia terra.

Thyrf. Qualia Cimbriada capiebant gaudia gentes,  
Patre fuit magno quod Iolas ortus Adolpho,  
Talia nunc Cimbris & gaudia tanta ſuperſunt,  
Quod nova progenies ſit Iolæ natus Alexis.  
Ille puer, lapſis olim juvenilibus annis  
Ardua ſubiecto patris in veſtigia, late  
Iura gregi condet pariter, legesq; magiſtris:  
Ætheris immenſi natalia ſidera ſub quo  
Venturos meliora jubent ſperare nepotes.

Lycid. O quoties, & quæ ſuſpiria pectore duxit,  
Speq; ſuos de te eſt ſolata, Phileta, dolores!  
Ante parens cæco puerum quam carceris antro  
Te dedit in tenues, exactis menſibus, auras.

Thyrf. Dilectæ quid tum Soboli Si diva Phileta  
Oſcula jungat, & hoc curas obrumpat amore?  
Sic auctor lucis picea ſol nube laborat  
Interdum, victis ruruſus caput exeret umbris.

Lycid. Huc odes, ô formoſe puer, tibi molle liguſtrum,  
Et mitis vvas, & mala rubentia granis.  
Purpureasq; roſas Thymbrae cum ſuave comantis  
Floribus, in cunas, tepidis pater educat hortis  
Sleja, iam nato jucundum munus alumno.

Thyrf. Tu quoq; magne parens, cujus, qua continet orbis,  
Nasci-

Nascitur & radios cum subtrahis, interit ortu,  
Quandoquidem medicas docuit te Pbylliris artes,  
Mitte quibus longum puer hic sibi proroget ævum,  
Colligat & genetrix fessos languoribus artus

Lycid.

En mihi solertes agilem de robore currum  
Artifices poliere manus, quem candida nuper  
Discedens memori mihi dabat munere Leuce,  
Ac ait: æternum nostri sit pignus amoris:  
Illa ait, inuidens agrè tulit innuba Nais.

Gemmea forma rotis, temo aureus, aureus axis.  
Huic duo junguntur, Dictynna nobile donum,  
Capreoli, quæ præter Alexin nullus habebit.  
Cui sonipes mox frena celer spumantia mandat.

Tbyrs.

Quidæ si eadem gladium gemmis auroq; coruscum  
Leuce, noster amor, moriens lasciva dedisset.  
Aurea sunt circum cælata manubria conchis,  
Conchis ex niveo rutilis, & laspide pura:  
( Hæc ita dyrceø patre doctus nominat Argus )  
In quibus Alfonso, picti scrutator olympi,  
Alter ut Alcimedon, geminos radiantibus astris  
Solis et æternis præfixit legibus orbes:  
Non hic signa latent prænuncia, siue sub undas  
In caput Hespericas se condat aquosus Orion,  
Seu madidis Hyades pluvijs venantibus ad sint.  
Sicut & obliquo, remeando tramite, cursu  
Cynthius ad metam sese conuertit eandem,  
Dum Cancri vaga retrogradi Lybicaq; frequentat  
Astra fera, tempus q; uno bis mutat in anno:  
Haud aliter patrias iam nactus Alexis habenas  
Doctus seruabit medium pietatis & aequi,

Sic

Sic veterum monitu medio tutissimus ibit.  
Et decet eximjs Proceres heroibus ortos  
Ense malis damno, melioribus esse saluti.

Lycid. Grandia, quæ regum canitis natalia, Musæ,  
Mangnorumq; ducum laudes adamante notatis,  
Gestaq; victuris inscribitis ardua libris,  
Ceruleos Clyteas ad cunas spargite flores,  
Flores & frutices, & amaris Intyba fibris:  
Prima quibus læto iam sidere matris Alexis  
Delitiæ infiget teneræ vestigia plantæ.  
Sicut & hæc solis radios comitantur euntis  
mane novo, seroq; ad lumina vertice nutant:  
Sic puer obsequio miti colat ille parentes  
Subiectisq; pari dingnetur honore vicissim

Thyrs. Aurea, vivaces, pariunt quæ mala, racemos,  
Vitricesq; comis Lauros, Oleasq; virentes,  
Chloris mitte mihi, debentur talia Alexi.  
Tristibus orbe dies nec condet longa tenebris  
Ille puer nobis quicquid crescentibus annis  
Olim præstabit memorabile pace, vel armis:  
Hæc veluti nullis marcescunt floribus herba,  
Æternumq; suæ derivant frondis honorem.

Lycid. Auspicio cedant hæc fausta parentibus, opto,  
Quorum Nestoreis vitam Deus impleat annis  
Nataliq; suo puerum fortunet Alexin.

Thyrs. Suave rubens hortis Hyacinthus, Pbyllis Amynta,  
Ripa Oleis, ovibus Rumices, arbusta capellis,  
Mestis agro: Lyceda mihi carmina sola canentis.

Lycid. Hæc eadem, cujus toties mirata cicutas  
Delia, iamdudum nobis laudavit Iopas.

Poste-



*Postera Phœbigena longumq; per ora cohortis  
Fivite vos Lycida laudes, & crescite, dixit.  
Messe colonus iners, examina floribus Hybla.  
Fronde caper viridi: sitientes imbribus herba,  
Memnonis alata saturantur rore cicada  
Aerio: nos docte juvant tua carmina Thyrsi  
Iam satis: inter oves teneros qui congregat agnos,  
Dux gregis, ipse aries flectit vestigia retro.  
Nec plenis pecudes affectant pabula campis:  
Thyrsi gregem serua tenerum, stabulisq; reconde.  
Ipse ego, ne gravidas viciant Aconita juvencas,  
Non tutos armenta sequar vagabunda per agros.  
De fausto interea crescentis Alexidis ortu,  
Vos aure, vos hæc memores servate Camæna.  
Atq; patri Iola, matriq; referte Philetæ.*



